



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,  
Africam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1619**

Cap. XXIV. De Religiosis in Gallia Ordinibus, itemque militaribus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11108**

## CAPVT XXIV.

DE RELIGIOSIS IN  
Gallia ordinibus, itemque mi-  
litaribus.

**I**N orbe Christiano non est regnum, quod plura, eaque illustria suo ambitu continet Archicœnobia, seu Ordinum ac Congregationum religiosarum capita: quæ Galli *Chefs d' ordres* nuncupant. Sunt in his Cluniacum, Grandis Mons, Cartusia Maior, Cistercium, Vallis Caulium, Præmonstratum, Ceruus Frigidus, Vallis Scholarium, & fons Ebraldi.

Cluniacensem ordinem ac monasterium, in diœcesi Matisconensi, an. 910. fundauit B. Berno Abbas, opibus Guilielmi Aquitaniz Ducis.

Grandem Montem in diœcesi Lemouicensi fundauit S. Stephanus, qui an. 1126. vivere desijt.

Cartusia Maior, in diœcesi Gratianopolitana an. 1084. excitata est à S. Brunone Coloniensi.

Cistercium in diœcesi Cabilonensi an. 1098. instituit S. Robertus Abbas Molifensis: & ordinem mirificè propagauit S. Bernardus Abbas Claræ Vallis.

Anno

*Anno milleno centeno bis quoque deno,  
Sub Patre Roberto cœpit Cistercius ordo.*

Præmonstratum in diœcesi Laudunensi  
condidit S. Norbertus ciuis & Canonicus  
Xantensis, quod est opidum Ducatus Cliuiæ  
& diœcesis Colonensis.

*Anno milleno centeno bis quoque deno,  
Sub Patre Norberto fundatur candidus  
ordo.*

Monasterium Cerui frigidi, in diœcesi Mel-  
densi, quod est caput ordinis S. Trinitatis de  
Redemptione captiuorum, an. 1136. excita-  
uit B. Ioannes Matha, Doctor Theologus  
Parisiensis, qui an. 1213. Romæ obiit, in mon-  
te Cœlio conditus.

*Milleno ducenteno quarto quoque dempto,  
In Ceruo Gelido Triadis fit primitus ordo.*

Inscriptio sepulcralis B. Ioannis Mathæ, que  
hodieque legitur Romæ, exordia ordinis  
refert ad an. 1136.

Vallis Scholarium, in Campania regni  
Galliae prouincia, fundatorem agnoscit B.  
Guilielmum natione Anglum, qui Parisijs  
antea Scholaris fuerat. Ordinem an. 1218.  
sub regula S. Augustini confirmauit Hono-  
rius III. Papa.

Fons Ebraldi, in diœcesi Pictaviensi, sub regula S. Benedicti, fundatur à B. Roberto Blefelio Parisiensi, qui an. 1117. viuere deſjt: teste Baronio in Annalibus.

Ordo Hospitaliorum S. Antonij, fundatus est à Gastone viro nobili, eiusque filio Girondo, circa an. 1121. apud Motam diœcesis Viennensis in Gallia opidum, quod hodie S. Antonij dicitur, à corpore S. Antonij eò allati ex vrbe Constantinopolitana per Iocelinum, caſtri Albenciani & Motæ dominum. Caput ordinis est Antoniana apud Motenses Abbatia, quam Bonifacius VIII. an. 1297. ex Prioratu ad dignitatem Abbatiæ euexit, amotis monachis Benedictinis.

Ordo Charitatis nostræ Dominæ, circa an. 1300. in Gallia est inchoatus: cuius ordinis caput ibidem existit.

Congregatio Fuliensis, seu S. Bernardi de Poenitentia, quæ est monachorum reformatorum ord. Cisterciensis, initium sumpsit in diœcesi Riuensi, per Ioannem Barrerium, Abbatem Fulensem, qui an. 1600. Romæ obiit.

S. Guilielmus Aquitanus Dux fundavit ordinem Guilielmitarum, sub regula S. Benedicti militantem, in Stabulo Rhodis: quod monasterium in diœcesi Grossetana, sub ditione Senensi situm in Italia, fuit olim ordinis

nis Guilielmitarum caput; hodie ab Eremitis Augustinianis possidetur.

Hactenus de monasticis in Gallia ordinibus. Ut de militaribus aliquid addam, florent hodie in Gallia ordines Equitum *S. Spiritus*, & *S. Michaelis*, quos inter longè eminent prior, ab Henrico III. Rege institutus. Ad surgit item ordo Equitum *S. Mariæ de Monte Carmelo* & *S. Lazari*, à Paulo V. Papa approbatus.

De his Ordinibus plura qui volet, Origines nostras Monasticas & Equestres consultat.

## C A P V T X X V.

C O L L E G I A S O C . I E S V  
*in Gallia.*

**S**I uspiam alibi, in Gallia præclaram certè operam præstat Societas Iesu, in seduis ad viam veritatis, gremiumque Ecclesiæ reducendis. Ipsi autem in Gallia sunt Provinciæ quinque.

\*\* \*\*

E 4

PRO